

## DE OFFICIO MAGISTRI MILITUM.

### 1.29.1

*Imppp. Gratianus Valentinianus et Theodosius AAA. ad Eusignium pp.*

Viri illustres comites et magistri peditum et equitum in provinciales nullam penitus habeant potestatem, nec amplissima praefectura in militares viros.

[a. 386 - 387]

### 1.29.2

*Impp. Honorius et Theodosius AA. ad Hypatium magistrum militum per Orientem.*

Apparitores statutos officii tui ad aliud iudicium trahi minime oportebit, sciat igitur illustris magnificentia tua sub te, sive civiliter sive criminaliter appetantur, eos litigare debere.

*D. id. Dec. Constantinopoli Constantio et Constante cons.*

[a. 414]

### 1.29.3

*Imp. Zeno A. Sebastiano pp.*

Eos, qui ultra statutos in officio magisteriae per Orientem potestatis militant, civilium quoque iudicum sententiis super quolibet negotio subiacere: ipsis quin etiam statutis in tributariis collationibus civilium quoque iudicum dispositionibus procul dubio parituris.

[a. 476 - 485]